Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



operari ulla ratione possem. Sed quid est quod sequitur. Amen amen dico uobis qui credit
in me opera que ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet. quia ego ad pa
trem uado. et quodcumque pecieritis in nomine meo hoc faciam. ut glorificetur
pater in filio. si quid pecieritis in nomine meo hoc faciam. Ergo et illa maio
ra opera se ipsum facturum esse promisit. Non se extollat seruus super dominum. nec
discipulus supra magistrum. Maiora quam ipse fecit dixit eos esse facturos. sed in eis
uel per eos se faciente non ipsis tamquam ex semet ipsis. Et quippe cantatur. diligan
te domine uirtus mea. Sed que sunt tandem ista maiora. An forte quod egros ip
sis transeuntibus etiam eorum umbra sanabat. Maius est enim ut sanet umbra
quam fimbria. Illud per se. hoc per illos. utrumque autem ipse. Verumtamen quando ista
dicebat. uerborum suorum opera commendabat. Sic enim dixerat. uerba que ego loquor
uobis a me ipso non loquor. pater autem in me manens facit opera ipse. Que opera tunc
dicebat. nisi uerba que loquebatur. Audiebant et credebant illi. et eorun
dem uerborum fructus erat fides eorum. Verumtamen euangelii et antibus discipulis non
tam pauci quam illi erant. sed gentes etiam crediderunt. hec sunt sine dubitati
one maiora. nec tamen ait. maiora horum facietis. ut solos apostolos ea puta
remus esse facturos. sed qui credit in me inquit opera que ego facio et ipse faciet.
et maiora horum faciet. Itane quicumque credit in christum facit que christus. uel ma
iora quam christus. Non pretereunt ista tractanda sunt. nec debent festina
tione precipitari. sed ea cogit concludendus iam sermo iste differri.

8. Quid sibi uelit Sermo lxxii. de eadem lectionem.

Et quomodo accipiendum sit quod dominus ait. qui credit in me opera que ego
facio et ipse faciet. non est facile comprehendere. Et cum ad in
telligendum difficillimum sit. adiecit aliud difficilius. et maiora
horum faciet. Quid est hoc. Non inueniebamus qui faceret opera que fecit
christus. qui etiam maiora faciat inuenturi sumus. Sed dixeramus sermone
pristino quia maius fuit umbre sue transitu quod discipuli fecerunt. quam fimbrie
sue tactu quod dominus ipse fecit. sanare languentes. et quia plures apostolis
quam ipso per os proprium predicante domino crediderunt. ut hec uiderentur opera
intelligenda esse maiora. non quod maior esset magistro discipulus uel domino ser
uus. uel ad optatum unigenito. uel homo deo. sed quod per illos ipse dignaretur
eadem maiora facere qui dicit alio loco. sine me nichil potestis facere.
Ipse quippe ut alia omittam que sunt innumerabilia. sine ipsis fecit ipsos.
sine ipsis fecit hunc mundum. et quia homo etiam ipse fieri dignatus est.
sine ipsis fecit et se ipsum. Quid autem illi sine ipso nisi peccatum. Deniquid et hic
quod de hac re poterat nos mouere max abstulit. Cum enim dixisset
qui credit in me opera que ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet.
continuo secutus adiunxit. quia ego ad patrem uado et quodcumque pecieritis
in nomine meo hoc faciam. Qui dixerat faciet. post ait faciam.